DE PLEURITIDE ET PERIPNEUMONIA DISSERTATIO INAUGURALIS QUAM IN...

Bartolomeo Dalzio

DE
PLEURITIDE ET PERIPNEUMONIA
DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

IN CELEBERRIMA AC PERVETUSTA UNIVERSITATE PATAVINA

AD SUMMOS HONORES IN MEDICINA

RITE OBTINENDOS

PUBLICAE DISQUISITIONI SUBMITTIT

BARTHOLOMAEUS DALZIO

TARVISINUS



PATAVII

EX TYP. CRESCINI

MDCCCXLVII

PLEURITIS ET PERIPNEUMONIA

Quamvis pleuritis ab auctoribus distincta sit a peripneumonia plus quam mereretur, quia saepe conjunctae inveniuntur, et prima facile in secundam transit, et ambae quasi sint iisdem signis comitatae, atque cadaverum sectionibus saepe inventus sit inflammatus pulmo, ubi solum inflammatio pleurae supponebatur; nihilominus, sicut in natura possibilis est inflammatio pleurae absque illa pulmonis, et contrarium, quamvis hoc sit simpliciter gradus discrimen atque extensionis ejusdem morbi, nos tamen talem distinctionem omnino non deseremus.

Pleuritis igitur est affectio morbosa membranae *pleura* dictae a verbo graeco *pleos,* plenus; quod omne cavum internum thoracis vestit, tegens interius costas, musculos intercostales ac pulmones, et componens mediastinum atque pericardium. Hanc affectionem comitatur acuta febris, magnus dolor ac diffi-

cultas respirationis. Dividitur in *pleuritidem veram* quum affecta est ipsa membrana, idest illa pars quae intus costas obvolvit; in *spuriam* quum correpti sunt musculi intercostales.

DESCRIPTIO

Principio patiens est generatim frigore atque tremore aggressus, quibus succedunt calor, insania, dolor capitis et pectoris e latere, serius multum acutus ac mordax, qui ad humeros extenditur et claviculas, difficultas incumbendi supra latus affectum, tussis arida, quae dolorem auget, quamque post diem tertium prosequitur excreatus materiei subtilis, saniosae et interdum sanguineae: respiratio est etiam multum difficilis ac anxia, pulsus durus ac tensus, sanguis eductus compactus, ac ejus substantia coriacea vel crassa, urina admodum colorata, et omnia indicia peripneumoniae, quam nunc describemus.

Peripneumonia sic vocatur a verbis graecis *peri* circum, et *pneuma* pulmo.

Incipit etiam haec frigore quod calor excipit: inde adjiciuntur anxietas, debilitas, agitatio, vigiliae, delirium; sanguis eductus similis est illi de quo diximus. Facies atque oculi rubore infecti, alba lingua atque arida, respiratio difficilis, celeris ac calida, quam profundus dolor comitatur nec acutus: nec patiens jacere potest in latere morboso, dolor in humeris, initio arida tussis, inde humida, ac vomitus, pulsus frequentissimus atque mollis, urina valde colorata, quae

quiescendo interdum sedimentosa fit, denique turbatus est spiritus, visus fit debilis, respiratio gravis, pulsus celer et incertus, extremitates frigidae fiunt, exeunt sudores viscidi in partibus superioribus, morsque imponit finem isti phaenomenorum cohorti septimo, sive nono, sive undecimo vertente die.

Ex hoc palam elucet, pleuritidem distinguendam esse a peripneumonia a calida respiratione, dolore profundo obscuroque potiusquam lancinante, a pulsu pleno et molli, qui plerumque peripneumoniam comitatur.

CAUSAE

Causae praedisponentes sunt: respiratio suppressa, exercitium violentum, aer frigidus, densus gravisque a pulmonibus acceptus, venti septentrionis, potio spirituosorum, aqua frigida assumpta corpore aestuante, evacuationes suppressae, repulsae eruptiones, veluti morbilli, pustulae etc., exteriores pectoris ictus, et breviter quicumque stimulus in pulmones, qui eos ad inflammationis statum disponat, speciatim si individua temperamento plethorico ac sthenico peaedita sint.

CURA

Indicia sunt aequalia illis inflammationum aliarum partium; principio oportet uti sanguinis evacuationibus copiosis ac, juxta symptomata, repetitis, vimque

patientis. Amplo vulnere venaesectio paragenda est; et in juvenibus fortibus ac plethoricis non minus quam quatuordecim sexdecimve unciae extrahendae. Ad regionem affectam cucurbitulae adplicari poterunt: si dolor minor fit a prima sanguinis emissione aliquo tempore, et inde rursus exasperatur, et prostratio redit, decet venaesectionem repetere: si tamen symptomata permaneant, atque decem duodecimque horis perdurent, iterum ad venaesectionem confugiendum et in latere affecto vesicatorium adplicandum, maxime si inflammatio exterius se protendere demonstret, et valde acutus sit dolor. Primo sanguine emisso, tempore intermedio, remedia ad imminuendum incitamentum ac superandam affectionem partialem idonea administranda sunt. Quare decent diluentia, resolventia, emollientia; quare copiosae potiones perscribantur, decoctiones pectoralis, aqua pomorum, potiones citreae, emulsiones: in omnibus portiones nitri solvi possunt, et alvinae dejectiones promovendae erunt clysmatibus refrigerantibus ac resolventibus; utile quoque est crassam spongiam aceto calido inbutam ad os atque ad nares apponere; aut quocumque modo aere inspirando vapores decoctionem anodynorum ac emollientium accipere, quod vesicularum pulmonis poros relaxat, movet sudorem, expectorationem fovet, imminuens tensionem vasorum sanguiferorum, eaque permeabilia reddit. Inspiratio dicta vaporum fit vel ab ore angusto vasis cujuscumque convenientis, vel a vase inspiratorio Mudge. In parte affecta apponi possunt emollientes fomentationes, vel sacculum herbarum coctarum.

Interius praescribantur medicamenta oleosa, modo emulsiones, nitrum commixtum pauca camphora, stibiumque ac mixtura salis per duas, tres vel quatuor horas distributae. Initio morbi oportet omnia curare ut resolutio eveniat; sed si vis vasorum debilitata remaneat, aut in pulmone deponatur materies morbosa, tum studium omne ponere debemus, ut quovis modo expulsio promoveatur: spes servandi patientem a morte in hoc sita unice est. Quare praeter id, quod supra diximus, efficacissima ducitur polygala senega vel virginiana, et optimo cum successu in his casibus ter quaterve de die exhibetur. Movet sudorem ac excreatum; sed cum ultimus lentus atque difficilis sit, licet ad antimonialia vel mercurialia et caetera dicta expectorantia confugere.

Cum morbo capti excernere incipiant, aliqui auctores usum lanceolae prohibuerunt. At non juxta hanc regulam magno cum rigore agendum est, et quando exasperatio aut symptomatum vis hoc petunt auxilium, ab hac recedere juvat, ac semper insistere, nisi illa lenita sint, atque patiens valde refectus remaneat.

Hoc levamen quarta vel quinta die percipi potest, quum minus grave caput, lingua humidior evadant, tussis minus frequens, respiratio non valde difficilis, facilis expectoratio, materies minus sanguine tincta, pulsus magis solutus, regularis, quietus.

His casibus opus est uti diluentibus ac expectorantibus, alvus disposita lenibus purgantibus ad evacuationes teneatur, quae remedia essent cassia et manna, vel enemata emollientia.

Etsi morbus paucis diebus generatim bono cum omine ad finem tendat, hoc evenit solum si libera expectoratio continuet ac copiosa; aliquando vero eadem sistitur improviso quin ulla alia evacuatio succedat, et respiratio fit difficilis gravisque. Tum expectorationis renovatio curanda ad suffocationem praeveniandam, missionibus sanguinis, inspiratione vaporum, admotione vesicantium, et antimonialibus ad nauseam promovendam.

Methodo jam supra dicta curae tam in pleuritide quam in peripneumonia utimur. Sed huc observabimus esse certum discrimen inter utrasque in fine morbi; nam inflammationis pleurae resolutio saepe accidit cum copioso sudore, vel abundanti ejectione sedimentosae urinae. Illa pulmonum saepe solvitur per expectorationem, et in ambobus casibus, cum hae evacuationes sudoris, urinae aut catarrhi perfectae fuerunt, plena crisis facta est et salutaris, omnia symptomata opprimentia paulatim evanescunt, et recreatio ab aegritudine facile succedit.

Quum supradicta methodus curae aut similis conveniat in simplici inflammatione mediastini, cordis, pericardii atque diaphragmatis, nos solum hos morbos describemus quantum sufficiat ut cognosci ac distingui possint.

Inflammatio mediastini patet acuto pectoris dolore inter sternum et spinam a gravi respiratione secuto, et omnibus aliis indiciis pleuriticis.

Inflammatio cordis et pericardii comitatur profundo dolore, gravitate, anxietate, brevi respiratione

et frequenti, multa siti, calore in pectore et cordis palpitationibus, pulsu inaequali ac difficili et frequentibus deliquiis.

Ipsa affectio diaphragmatis vel illius partis pleurae, quae eam tegit, distinguitur acuta febri, agitatione, anxietate, delirio, dolore acuto in costas breves aut spurias, ac vertebras humeris interpositas, respiratione rapida et brevi, quam sequuntur convulsiones in inspiratione, tussis arida, singultus cum hypochondriorum depressione et pauco aut nullo motu abdominis in actu respirationis. Tres enunciati morbi distinguuntur nominibus *carditidis* a *cardia*, cor; *pericarditidis* a *peri*, circum, et *cardia*; et *paraphrenitidis*, causa ipsius segregandae a *phrenitide*, quod quamvis delirium semper ipsam comitetur, cerebrum tamen mere sympathicae afficitur hoc in casu, dum in phrenitide ipsam morbi sedem constituit.

PERIPNEUMONIA MALIGNA

Hic morbus longe periculosior evadit simplici peripneumonia inflammatoria; nam excitatur praesertim in individuis debilis constitutionis aut morbo adfectis aut ab aliqua acrimonia vel dyscrasia sanguinea infectis et speciatim scorbutica; istiusmodi morbo nautae post longa itinera prae caeteris obnoxii sunt.

DESCRIPTIO

Hujusce morbi tanta est feritas, ut eidem pesti aequalis evadat, aut ut ipsa pestis strages producat

quum quasi epidemicus interdum saeviat. Incipit cum omnibus symptomatibus febris nervosae: facies fit pallida, tristis, morositas, timor, horror calori mixtus ipsam praecedunt. Hinc angustia pectoris cum tussi frequenti laboriosa, sicca succedunt: atrox dolor caput vexat, speciatim ad regionem occipitalem et sub vertigine diuturna tacitum delirium subsequitur, et ferox ante febris accessum in scenam prodit maximus et acutissimus dolor thoracicus cum vomitu bilioso, vigiliis perpetuis aut sopore, linguae siccitate, tremoribus, tendinum subsultibus, singultu, larga epistaxi, aut dysenteria, aphthis erodentibus totam oris internam superficiem. Hoc in morbo sanguis ad dissolutionem tendit, nec ut in peripneumonia simplici inflammatoria crusta phlogistica ad superficiem cruoris adparet. Adsunt etiam: maxima inquietudo cum extrema virium labefactatione, dolores per omne corpus vagantes, sudores profusi glutinosi, eruptiones peticulares; aegrotantes sub motu quocumque etiam levissimo a deliquio corripiuntur, difficulter halitum ducunt, cum sputo subtili, sanioso, sanguineo et foetido, pulsus digito tangenti se se praefert mollem et depressum, urina intense colorata emingitur. Tandem succedunt stertor, lethargum, convulsiones, pulsus exilis, et quibusdam in individuis symptomata modica mitigat diarrhoea, aut circa os parva ulcera, aut exanthema miliare ad cutem erumpunt, aut copiosi sudores optimo cum omine corpus madefaciunt. In autopsia pulmones videntur turgidi et sanguine infarcti, sed non duri nec graves aut circumdati lympha coagulabili, ut in simplici peripneumonia.

CURA

Febris quae hanc peripneumoniam comitatur est febris dissolvens, putrida; et ut talis curanda est; sanguinis emissiones conveniunt tantummodo in morbi initio si pulsus sunt duri et fortes, et cauta quidem manu agendae vel repetendae sunt. Vesicantia damnosa inventa fuere. Remedia, quibus auctores uti posse censuerunt sunt: acida vegetabilia et mineralia; acetum camphoratum in morbi progressu victui nutritivo associandum erit, et quoque nonnulla vina aegrotantibus convalescentibus administrari possunt. Nonnulli ad opiata quoque cum utilitate, ut referunt, confugerunt; sed hanc praxim utpote periculi plenam non admittimus: utilis est infusus serpentariae cum oxymelle; et omnes infusi et dococta emollientia quidem cum oxymelle aut cum acidis, ut superius diximus.

DE EXITIBUS

Exitus, de quibus nunc pertractamus, praeter quam peripneumoniae descriptae, etiam peripneumoniae simplici, et aliis thoracis inflammationibus communes esse possunt, et specialem exigunt considerationem.

Quum pleuritis aut peripneumonia non sanatur per resolutionem et excreatum, generatim gignitur collectio materiei in thorace, quae juxta variam ipsius sedem nomen sumit diversum: hinc si abscessus fit infra substantiam pulmonalem, dicitur vomica: quum

materies purulenta effunditur infra pleuram et pulmonem, constituitur empyema; si febris hectica adjungitur, tum consumptio pulmonalis succedit.

I. DE VOMICA

Descriptio

Quum materies purulenta producatur, nisi inflammatio intra decimam quartam diem resolvatur, mitigatio symptomatum morbosorum advertitur: dolor cessat et pulsus adhuc frequens debilior molliorque evadit; sed tussis, respiratio difficilis, et oppressio continuat: si frigoris hoc in statu horripilationes succedunt a calore subsequutae, absque dubio abscessus formatur: praeterea si tussis cesset ad minimum motum, si aeger in latere adfecto jacere nequeat, et symptomata continuo a virium labefactatione et artuum emaciatione comitata exasperentur, haec signa certiorem formationem abscessus faciunt. Si vomica repente erumpat, tunc suffocatio timenda est, et nisi materies per bronchia permeans ad exteriora per excreatus expellatur, quaecumque sanitatis spes relinquenda.

Si abscessus in cavitate bronchiorum rumpatur, tum, si materies pauca sit, facile per tracheam expelli potest; si quantitas major quam expui possit evadat, tum maxima anxietas, vertigines, tremores, lipothymiae, timor suffocationis, catarrhus suffocativus et ipsa suffocatio advertuntur; si materies purulenta versetur in pulmonis cellularem, praeter adauctam respirationis difficultatem, adhuc symptomata adparent novae

phlogoseos; si puris versatio in thoracicam fiat cavitatem, empyema producitur; si in cavitatem pericardicam, tunc hydropis producet symptomata; interdum materies diaphragma corrodens ad hepar, ad lien et ad abdominalem cavitatem pergit; interdum infra mediastina effunditur.

II. EMPYEMA

Descriptio

Signa empyematis sunt adaucta respirationis difficultas in thoracis inclinatione, praecessa a non resoluta phlogosi, impotentia jacendi in latere adfecto apposito, sensus ponderis supra diaphragma et multa alia symptomata hydrothoraci communia, quorum causa immediata est: quantitas materiei puriformis in cavitatem thoracis effusa, et formans succum infra aliquam pectoris membranam, quod communiter perfoditur et contenta in pectoris cavitatem effundit, producens symptomata supra recensita: interdum corpus vertendo hinc et inde sensus fluctuationis persentitur, sub thoracis percussione sonus coxarius ubi repletio materiei adest percipitur, musculi dorsales aut quadratus lumborum oedematosi fiunt et lentae febris superveniunt phaenomena.

CURA

In ambobus istis casibus boni exitus omnis spes in liberatione corporis a materie nocente, quae e contra suffocationem aut consumptionem produceret consi-

stit. In empyemate omnis spes stat in thoracis paracentesi inter costas: cave tamen ne diaphragma feriatur. In vomica, si ab excreatu libero et continuo materiei albae, dulcis et non foetidae, si omnia symptomata oppressionis speciatimque tussis et laboriosa respiratio de die in diem imminuantur, de salute non est desperandum, quae per expectorantia balsamica promovenda erit: victus vegetabilis et lacteus in usum trahendus et antimonialibus mercurialibus, sulphuris praeparatis ad cicatrisationem obtinendam utendum. Aliquando materies in sacculum colligitur, cujus parietes adeo sunt spissae ut absorbi nequeat; sed si cavitas ipsius cum bronchiis communicat, a quibus paulatim excernitur, tunc aeger diu vivere poterit, ut quidem me vidisse censeo in individuis, in quibus lacteo victu tamtummodo usum fuit. Interdum adhaesio formatur inter membranam externam pulmonum superficiem tegentem et pleuram interne costas obvestientem, cavitatem formando, quae exterius percipitur aut per constantem fixumque dolorem aliqua in parte determinata manifestatur.

Talibus in circumstantiis quum quaecumque spes curae per excreatum deficiat, vomica et ulcus per perforationem externam cystis materiem continentis perfecte sanabuntur.

III. CONSUMPTIO PULMONALIS

Descriptio

Haec affectio vocatur quoque phtysis a graeco vocabulo *phthyo* (corrumpo); hinc morbus in con-

sumptione totius organismi a febri hectica comitata cum tussi et excreatu puriformi consistit. In varias species ab auctoribus fuit divisa, scilicet in *siccam* aut *tubercularem*, *humidam* aut *catarrhalem* et *sanguineam*, juxta causas producentes comitantiaque symptomata. Nos tamen consumptionem pulmonalem in duo stadia, in illud nempe inflammationis et illud suppurationis dividemus.

DESCRIPTIO

Incipit stadium phlogoseos cum frigore a calore subsequuto, virium animaeque labefactatione et dolore, voce stridula, gustu salino in ore, tussique sicca: generatim oppressio thoracica, speciatimque post motum et sitis adaucta advertuntur: adnotantur praeterea pondus in latere adfecto, anorexia, postque cibum assumptum interdum vomitus, pulsus celer et mollis, aut parvus contractus: saepe cum tussi sputum sanguinis rutilantis; haec juxta supradictam divisionem ad primam speciem seu ad siccam consumptionem spectat; si sputa tamen sanguinea adsint in tertiam commutatur.

In posterum materies varii coloris excernitur, flavo-viridis, sanguinolenta absque odore aut foetida, corpus consumitur, et etiam aestivo tempore a frigore corripitur, hectica febris vespere exacerbatur et mane cum sudoribus colliquativis remittit; frequens calor ad manus percipitur, et de die diarrhoea, copiosaque urinae excretio succedunt; interdum lingua a minimis ulceribus conspargitur, postque pastum aeger

fixum ruborem ad genas ostendit, digiti emaciantur, quamvis bulbosae adpareant extremitates, et ungues incurvantur, pedes turgescunt, decidunt capilli, cartilago ensiformis contra interiora flecti videtur, omnes functiones languescunt, corpus rigescit, deprimuntur oculi, tandemque eo ipso tempore quo majorem tenet sanitatis spem e medio tollitur infelix aegrotans.

CAUSAE

Causae praedisponentes sunt humores irritantes a pulmonibus separati tussimque inducentes, tuberculi, fumus arsenicalis aut aliarum nocentium substantiarum a pulmonibus acceptus, imminutio aut suppressio evacuationum habitualium, animi affectus deprimentes, vita sedentaria aut luxuriosa aut aliis vitiis inquinata, corpora extranea in pulmones introducta, vulnera etc.; praeterea ab aliis morbosis affectionibus potest induci, ut a scrofulis, lue venerea, variolis, rubeola, scarlatina, scorbuto, asthmate, peripneumonia et aliis: haereditaria quoque esse potest, et ex plurium sententią per contagium communicatur. Causa proxima aut immediata constituitur primo in stadio a statu phlogistico alicujus partis pulmonalis speciatimque glandularum; secundo in stadio fere semper ab exulcerationibus, quae in autopsiis ab hoc morbo interemptorum saepissime inveniuntur, quamvis interdum causa inventa sit in induratione et tumefactione glandularum bronchialium, quae per pulmones dispersae sunt, et durae nigraeque in centro nec suppu-

ratae observantur, sed simul ad magnitudinem parvae nucis uniuntur, humoremque puriformem in extremitate aut divisionibus tracheae excernunt, ex ipsis nonnullae interdum concretiones cretaceas non suppurantes efformant, sed durae persistunt, conscissaeque mucum puriformem, et densum atrumque cruorem exprimunt.

CURA

Nunc juxta differentia stadia aut, ut alii volunt, juxta diversas species methodus curae erit adplicanda.

Primo in stadio inflammatio vincenda est modicis sanguinis emissionibus ac ad spatia aequa repetitis, aut cum vesicantium adplicatione iterum iterumque renovata : emollientia et oleosa quoque administranda ad tussim leniendam, postea in serum levissima emetica suppeditanda, et radix ipecacuanhae caeteris anteponenda: utile inventum est serum lactis: victus sit vegetabilis summeque modicus. Sedata phlogosi, ad salem ammoniacum, ad myrrham, ferrum ammoniacale recurratur, aquae acidulae et ferruginosae summam habent praestantiam, corpusque equitando exercendum est.

Parvae mercurialium doses ad tuberculos post stadium phlogoseos utillime comprobatae sunt.

Secundo in stadio indicationes consistunt in expulsione materiei nocentis fovenda, et ab illa organismo liberando, ulcera cicatrisando; quare commendantur acida mineralia et speciatim sulphuricum,

modicum exercitium, speciatim equitando, aer purus, siccus et tepidus, solatia apta ad spiritum sine defatigatione exhilarandum; cavendum autem a veneris usu et mentis nimia occupatione.

Ad pulmones detergendos suadetur usus levium emeticorum, et maris itinera; et ad puris absorptionem ejusque malos in organismum effectus praeveniendos indicantur quae a medicis organicis ad antiseptica referuntur non stimulantia, uti acida vegetabilia et mineralia, quum a diarrhoea non contraindicentur; china quoque utillima inventa est.

Eodem tempore aeger victu digestu facile et nutriente uti deberet, scilicet omnibus illis quae sub nomine diaetae lacteae comprehenduntur, et nisi equitatio aut navigatio possibilis sint, natatio ad aerem liberum suadentur.



THESES DEFENDENDAE

1. *Inspiratio aetheris in gravidis pàrientibus damnanda.*
2. *Proprietas aetheris sedandi dolores etiam antea nota.*
3. *Confidentia nimia in vi naturae medicatrici interdum periculosa.*
4. *Multi morbi qui ad nevroses pertinent a mala vegetatione proficiscuntur.*
5. *Ronchus mucosus crepitans non signum exclusivum pneumonitidis.*
6. *Decubitus signum haud certissimum ad distinguendum accessum asthmatis a pneumonitide.*
7. *Cardiopalmus saepe ab adfectione nervorum et non a carditide pendet.*
8. *Mors per venena ad corrosiva spectantia succedit et per actionem dynamicam supra nerveum systema a veneno paractam, et a chemica materierum organicarum laesione.*